

tiva, aut alia virtute, quam in solutione argumentorum explicabimus.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Primo arguitur, quia in Deo datur vera et propria justitia, et non metaphorica, non minus quam misericordia, et hæc justitia exercetur erga homines sine debito et obligatione, quæ imperfectionem dicit, et servat modum, formamque justitiæ commutativæ; ergo non est ratio cur negetur Deo justitia commutativa sublati imperfectionibus debiti, et obligationis ortæ ex actione creaturæ erga Deum. Major probatur, nam Deo passim Scriptura concedit attributum justitiæ, officiumque judicandi juste, et reddendi unicuique quod suum est, quod non metaphorice, sed cum omni proprietate Deus exercet: nec enim ulla imperfectio apparet in eo quod est justitiam exercere, et tribuere unicuique quod suum est. Hoc autem significatur imprimis in illo loco Pauli II ad Timoth. IV: *Superest mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex*: ad Hebr. VI: *Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis vestri*: Matth. XX: *Voca operarios, et redde illis mercedem*: et iterum: *Nonne ex denario convenisti mecum, tolle quod tuum est et vade*: Rom. II: *Reddet unicuique secundum opera sua*: et I ad Cor. III: *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem*. Et innumera alia loca sunt, in quibus explicatur justitia Dei, et actus illius ex conventionem, et pacto Dei erga nos. Et per oppositum designatur Deus fore injustus, si privaret aliquem mercede sua, quod esse non posset si vera et stricta non intercederet justitia, ita ut læderetur jus alterius, et Deus esset injustus si non

faceret sic. Unde dicit Augustinus libro IV contra Julianum, c. III: « Deus ipse, quod absit, erit injustus, sed ad ejus regnum verus non admittitur justus: » et libro de natura et gratia, c. II: « Non est injustus Deus, ut justos fraudet mercede justitiæ. » Quod vero servetur forma commutativæ justitiæ asseritur a D. Thoma 2-2, q. LXI, a. IV ad I. Et constat, quia forma justitiæ commutativæ est, ut tantum pro tanto recipiatur juxta valorem rei, vel actionis. Hoc autem maxime Deus observat in retribuendis præmiis, vel pœnis juxta illud Apocalypsis XVIII: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*. Ergo ex hac parte non repugnat Deo justitia commutativa et stricta.

Confirmatur hoc amplius, quia hæc justitia propria et non metaphorica, quæ in Deo reperitur erga nos, eamque ipsi attribuit Scriptura, necessario debet esse aliqua determinativa species justitiæ, fundata in promissione Dei: dicit enim Tridentinum sess. VI, cap. XVI, quod: « Vita æterna redditur tamquam merces, ex ipsius promissione, bonis ipsorum operibus, et meritis: hæc est enim illa corona justitiæ, etc. » Sentit ergo Concilium quod, posita promissione Dei, fundatur redditio justitiæ in corona, et in mercede. Rursus ista justitia non potest esse pars aliqua potentialis justitiæ; ergo vera et stricta justitia. Antecedens probatur, quia si aliqua pars potentialis justitiæ esset, maxime gratitudo, aut fidelitas: reliquæ enim ut religio, observantia, et similes, hic locum non habent; neutra vero hic sufficit, quia gratitudo fundatur in beneficio gratis alicui exhibito, Deus vero non est capax beneficii, aut obsequii sibi gratis exhibiti, quia est Dominus omnium rerum, et actionum nos-

trarum, quibus ei obsequi aut beneficium impendere possumus; et sic omne obsequium est ei debitum, nihil gratis datum, quia omnia Dei sunt, Psal. XLIX: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus*. Ergo Deus non est capax rependendi aliquid per modum gratitudinis: imo gratitudo non fundatur in promissione, nec illam requirit, sed etiam si quis non promittat, tenetur gratitudinis vi ex sola acceptatione gratuiti obsequii. In præsentem autem loquimur de obligatione orta mediante promissione, ut loquitur Concilium. Et ideo Vasquez qui ex gratitudine dicit Deum retribuere merita, dixit etiam posse sine promissione Dei mereri justos de condigno vitam æternam, quia promissio non facit condignitatem, ut docet 1-2, disp. CCXIV, cap. IV et V. Fidelitas autem licet supponat promissionem, tamen obligatio ex illa orta, et in ea fundata solum est ad verificando in reddendo id quod promissit, ratione solius veritatis, non ratione mercedis seu coronæ justitiæ: Deus autem reddit justis mercedem laborum suorum, et coronam justitiæ, et quod suum est, dicendo patre familias ad operarium, Matth. XX: *Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade*. Ergo datur in Deo justitia vera et propria præter fidelitatem et gratitudinem, per quam reddit alicui id quod ex contractu, et conventionem paciscitur. Hæc autem est forma commutativæ justitiæ, et non distributivæ, quia distributiva non attendit ad pactum vel contractum, sed ad proportionem personarum, quibus distribuendum est: ergo datur justitia commutativa in Deo.

XVI. Respondetur aliquos, ut Vasquez et qui eum sequuntur, ut Alarcon ubi supra, cap. VI et X, conce-

dere in Deo esse propriam justitiam, ut distinguitur a metaphorica, non tamen esse propriam, id est, specialem et strictam, qualis est illa quæ distinguitur a gratitudine, fidelitate, aliisque partibus potentialibus justitiæ: istæ enim virtutes sunt proprie quædam justitiæ, non metaphorice, licet specialis virtus justitiæ non sint, sicut obedientia proprie est justitia in subdito, et fidelitas, gratitudo, liberalitas, et aliæ similes, justitia sunt etiam in superiori, eo quod omnes istæ virtutes conveniunt in hoc, quod est rectificare, et dirigere operationes erga alterum, non passiones proprias. Et virtutes moderantes operationes ad alterum non passiones, vocantur generali nomine justitia, ut docet S. Thomas 1-2, quæst. LIX, artic. IV, et LX, art. II. Talis ergo justitia propria, et non metaphorica in Deo est secundum quod exercet operationes erga alterum ex æquo et justo, et secundum debitum morale, non tamen secundum quod justitia est virtus specialis, quæ implet debitum legale, et rigorosum cum obligatione unius partis erga aliam, vel distribuentis ad inferiores: utramque enim hanc speciem commutativæ, et distributivæ justitiæ Deo denegat Vasquez; et sic omnem justitiam specialem tollit ab eo, et solum justitiam pro partibus potentialibus justitiæ, ei concedit; et de his intelligit loca allegata, et alia similia, quæ justitiam attribuunt Deo, non metaphorice, sed propriam, potentialem tamen circa debitum morale, non specialem circa legale.

XVII. Nihilominus nos salvamus justitiam in Deo propriam, ut opponitur metaphorica, non solum in virtutibus potentialibus justitiæ, sed etiam in speciali justitia, licet non in omni specie sua, sed solum in distributiva, ut dicemus articulo sequenti; hoc enim modo salvat justitia-



tiam in Deo D. Thomas in iv, dist. XLVI, q. 1, a. 1 ad 1, quod: « Justitia est in Deo secundum quod distributor est naturalium honorum in omnibus creaturis. » Atque ita tam in speciali, et stricta justitia, quam in virtutibus potentialibus ejus illam regulam attendimus quod virtutes quæ respiciunt operationes ad alterum cum obligatione, et debito orto ex actione, vel jure, aut superioritate alterius erga alterum Deo attribui nullo modo possunt. Et hac ratione negamus inter virtutes potentiales justitiæ in Deo esse obedientiam, religionem, observantiam, et alias similes, quæ essentialiter important subjectionem ex parte personæ, et debitum, seu obligationem ortam ex jure, quod est in superiori erga inferiorem. Et similiter inter species justitiæ specialis et strictæ negamus commutativam, quæ importat debitum in una persona ortum ex jure quod alter habet ex sua actione contra ipsum; concedimus autem distributivam justitiam, quæ habet in superiori distribuyente debitum dandi unicuique juxta suam proportionem, quod debitum non est ortum ex jure eorum, quibus distribuendum est, sed ex ipsa æquitate intrinseca et essentiali Dei, qui est summa omnium regula, ut articulo sequenti dicemus. Et eadem ratione est in ipso illa justitia legalis, quam S. Thomas docet architectonice esse in principe ad conservandum et providendum bono communi, non ut est ministerialiter in subditis ad obediendum legi. De qua justitia agit S. Thomas 2-2, q. LVII, a. v. Et non dicimus hanc justitiam esse ipsam Dei providentiam aut legem, seu providentiam regnativam, quam etiam legem appellavit s. doctor 2-2, q. 1, in titulo quæstionis et articuli primi, nam prudentia, et lex pertinent ad intellectum, justitia vero illa legalis architectonica ad

voluntatem, ex qua tamen derivatur lex illa, et providentia de omnibus. Denique est in Deo fidelitas, seu veritas, et aliæ similes virtutes potentiales justitiæ, quæ e superiori in inferiorem exerceri possunt. Et ratione omnium istarum justitiarum dicitur Deus habere justitiam proprie dictam, et si contrarium faceret, esset injustus, injustitia opposita vel distributivæ, vel legali architectonicæ, vel fidelitati, aut aliis partibus potentialibus justitiæ. Unde non sequitur: Deus esset injustus, si non redderet justis præmium et mercedem: ergo habet justitiam commutativam quam non potest violare; dicimus enim quod etiam esset injustus, si violaret justitiam distributivam, legalem, vel aliquam ex potentialibus, quæ in illo sunt, et hoc sufficit ut verificetur in ipso esse justitiam, ut Scriptura, et patres dicunt, et quod si oppositum faceret, esset injustus.

XVIII. Et cum instatur, quod Deus servat formam justitiæ commutativæ tum in præmiis, tum in pœnis distribuendis: ergo habet justitiam commutativam. Negatur consequentia, sicut eam negat D. Thomas qui modum justitiæ commutativæ tribuit Deo, et non ipsam justitiam, ut constat ex locis supra allegatis, præsertim in iv, dist. XLVI, q. 1, a. 1, et 2-2, q. LXI, a. IV ad I. Quia modus, seu forma justitiæ commutativæ consideratur in adæquatione, et æqualitate ipsarum rerum inter se, quæ præstat a Deo, quatenus facit quod detur tantum pro tanto. Justitia autem commutativa non consistit in hoc quod est facere ut detur tantum pro tanto, sed in hoc quod est implere debitum, et onus dandi aut faciendi tantum pro tanto, quia justitia specialis respicit essentialiter jus et debitum personarum, non solam rerum æqualitatem. Et ita remoto jure et debito,

licet ponatur factio et constitutio æqualitatis, non est justitia commutativa, quia non est ex debito orto ex jure alterius contra alterum, sed ex debito sapientiæ, vel æquitatis, aut veritatis divinæ.

Ad confirmationem respondetur, dari in Deo justitiam propriam, et non metaphoricam, nec solam justitiam potentialem, ut diximus, sed etiam specialem, licet non commutativam, sed distributivam, ut sequenti articulo dicemus. Unde ad ea quæ objiciuntur ad probandum reddi præmia, et mercedem ex sola gratitudine vel fidelitate, nunc omittimus, et in sequenti articulo discutimus. Pro nunc sufficit dari in Deo justitiam strictam distributivam, servare tamen modum aliquem, et formam justitiæ commutativæ, tum in servanda et constituenda æqualitate rerum inter se, ut detur tantum pro tanto; tum quia Deus reddit præmium independentem a concursu plurium personarum, et consideratione majoris proportionis unius præ alio in dignitate; sed etiamsi esset unus tantum cui præmium reddendum esset, daretur a Deo solum attendendo ad proportionem ejus cum præmio, non ad majorem proportionem cum aliis, et hoc est proprium justitiæ commutativæ, quantum ad id quod ex parte materiæ se tenet, et ex parte rerum quas respicit, sed non pervenit ad rationem justitiæ commutativæ, quia non respicit neque fundat debitum ex jure alterius contra alterum proveniens, et ex eo quod Deus aliquid accipiat a nobis. Quod autem promissione Dei reddatur merces, id pertinet ad debitum fidelitatis, quæ est potentialis pars justitiæ. Et quod fiat conventio et pactum Dei ad homines, et in eo fundatur ratio debiti et justitiæ, in primis id dicitur fieri per quamdam metaphoram, quia, ut dicit S. Tho-

mas in II, dist. XXVII, q. 1, art. III: « Invenitur quandoque a sanctis metaphorice dictum, quod bonis operibus regnum cœlorum emitur, in quantum Deus accipit opera nostra ut acceptans ea. » Deinde non fit pactum et promissio Dei cum homine, ut ex actione hominis oneretur, et obligetur Deus, quia talis actio cum sit sub dominio Dei, et ex ejus influxu proveniens, non potest ex ipsa onerari, neque nasci obligatio quantumcumque pactum vel promissionem illi adjungat, sed solum pactum, et promissio deservit ad hoc, ut Deus manifestet hominibus se illa opera, licet sint sub suo dominio, et sibi debita; non acceptare solum eo titulo debiti, sub ea etiam ratione, ut remuneret, cum posset non remunerare; et sic quia vult, non quia obligatur, servat in eorum remuneratione modum justitiæ commutativæ: obligatur autem solum ex fidelitate, et ex justitia distributiva, essetque injustus si non redderet mercedem non læsione juris, sed violatione suæ veritatis, et æque distributionis. Nam etiam in pœnis et suppliciis infligendis servat Deus modum justitiæ commutativæ, ut tantum detur de tormentis, quantum fuit in peccato de deliciis, nec tamen intercedit ibi pactum, sed sola justitia distributiva secundum legem quam ponit ipsemet Deus qui est summa regula. Non ergo promissio aut pactum Dei ponit vel tollit hanc justitiam in ipso.

XIX. Secundo arguitur, quia probabilis est Christum Dominum in satisfactione pro nobis ex justitia commutativa reddidisse Deo justum et rigorosum pretium redemptionis: ergo etiam ex parte Dei debet dari justitia commutativa in ordine ad Christum. Patet consequentia, quia justitia commutativa debet esse mutua ex parte utriusque extrema:



ergo si salvatur in uno, etiam debet concedi in alio: nec enim potest intelligi quod Christus respondeat Deo per justitiam commutativam, et Deus illi per distributivam vel legalem: ergo absolute non est neganda justitia commutativa in Deo.

Confirmatur, quia nulla est imperfectio in justitia commutativa ita essentialis, quin possit ab ea purificari, et sic seclusis imperfectio- nibus attribui Deo: ergo non est ei deneganda. Antecedes probatur, quia ex parte personæ commutan- tis, non est necesse privari dominio suo, ut alteri tribuat, sed solum dare illi jus suum et dominium quod in suo ordine ei competit, et ita sufficit, quod Deus det homini dominium humanum et creatum, retinendo de eadem re jus supremum et divinum: et similiter cum recipit ab homine aliquid, non est necesse quod ab eo recipiat aliquod dominium novum de aliqua re, sed sufficit quod ali- quid obsequium ei fiat, vel honor tribuatur a creatura; nec oportet quod aliquid utilitatis ei accrescat, quia ille qui solvit debitum, aut restituit, non accipit inde utilitatem, et tamen exercet actum justitiæ com- mutativæ: non ergo requiritur ad tale exercitium quod fiat in utilita- tem propriam. Nec denique requi- ritur obligatio orta ex jure vel ac- tione aliena, quia sufficit Deum obli- gari ex sua naturali rectitudine vel promissione et pacto voluntarie fac- to: ergo separari possunt istæ im- perfectiones a justitia commutativa. Certe Deus reddit supplicia pro pec- catis secundum justitiam, quia dum punit peccatores non exercet mise- ricordiam, sed justitiam, et hoc facit ex debito et obligatione supremi judicis, non interveniente pacto aut promissione de dandis suppliciis. Cur ergo idem non poterit currere in retribuendis bonis?

XX. Respondetur non disputando

nunc difficultatem illam, ex qua justitia processerit satisfactio Chri- sti Domini: idem pertinet ad quæ- stionem primam tertiæ partis, et ad- mittendo quod Christus fecerit satis- factionem rigorosam et exactam pro peccato, consequenter quod talis satis- factio processerit ex justitia rigoro- sa et stricta ex parte Christi, quæ est justitia commutativa, inclinans ad reddendum æqualem mercedem pro debito et pro injuria, quod debitum et obligatio nascitur in Christo ex ipso jure divino quod habet contra peccatorem vel fide jussorem pec- catoris, qui fuit Christus, ut sibi satis fiat. Unde in Christo justitia com- mutativa habet omnes condiciones requisitas ut in ipso sit, quia et ponit obligationem, debitumque rigo- rosum satisfaciendi in ejus persona, ut homo est, et inclinationem ut reddat æquivalens ex parte pretii reddendi. Non autem de essentia justitiæ commutativæ, quæ est in una persona, quod inducat obliga- tionem active in altera, sed solum sufficit quod in illo in quo subjecti- ve est justitia commutativa, ejus obligatio et debitum oriatur ex jure alterius contra se. Quod autem faciat etiam active et mutuo quod in altero oriatur debitum et obligatio, non est per se de ratione justitiæ com- mutativæ. Et sic ex parte Christi est formalis et stricta justitia commu- tativa erga Deum: sed ex parte Dei non correspondet illi justitia com- mutativa formalis, quia Deus non est capax obligationis et debiti for- malis, id est, debiti quod oritur ex jure alieno et actione alterius erga Deum: sed tamen correspondet ei aliquid altius et eminentius, scilicet illa justitia distributiva, vel legalis architectonica, qualis est in prin- cipe, quæ eminenter in Deo est commutativa quatenus servare po- test modum formamque justitiæ commutativæ respiciens æqualita-

tem ex parte rerum, et tantum pro tanto, licet non habeat obligatio- nem et debitum rigorosum, huic enim obstat supremum dominium Dei circa omnes actiones, et res alio- rum, et sic ex ipsa actione alterius non potest in eo nasci debitum. Si- ne debito autem rigoroso non nas- citur jus rigorosum et commutati- vum quod est specificans justitiam commutativam.

XXI. Ad confirmationem respon- detur ex dictis non posse purificari justitiam commutativam ab imper- fectione debiti, et obligationis ortæ ex actione alterius erga se: in hoc enim consistit jus commutativum: sine jure autem commutativo non subsistit justitia commutativa, quia illud est ejus objectum formale; et sine debito legali et rigoroso deficit justitia specialis, et est solum aliqua potentialis pars justitiæ. Fatemur tamen, materiam justitiæ commu- tativæ non restringi ad sola bona temporalia et utilia, sicut in nobis sunt, et nomine pecuniæ solent com- prehendi, sed etiam versari posse circa res spirituales secundum quod valorem æstimationemque reci- piunt, ut cultus, obsequium, honor, et similia, quæ remunerationem exigunt, et æqualitatem habere pos- sunt. Non claudicat ex hac parte justitia in Deo, sed deficit ratione debiti aut juris ut fundati in actione et commutatione alterius erga Deum, quod est formalissimum in hac justitia, quia pertinet ad jus commutativum, quod est ejus ob- jectum specificativum. Et eum dici- tur quod sufficit debitum ortum ex naturali rectitudine vel promissio- ne voluntatis, respondetur illud non esse debitum juris commutativi, sed alterius obligationis et virtutis. Jus si quidem commutativum seu obli- gatio, nascitur ex ipsa actione, seu commutationibus aut communica- tionibus partium proxime et forma-

liter: a natura autem solum radica- liter et remote, quia naturale jus dicitur, ut si quis mihi aliquid tri- buat titulo oneroso, ei retribuam; nec possum ego onerari ex actione alterius, si illa actio, et id quod mi- hi dat, sit meum, et dispositioni meæ subjectum; et ideo illud exclu- dit Apostolus a Deo formalissime il- lis verbis sæpius repetitis: *Quis prior dedit illi, et retribuatur ei?* Si autem hoc jus solum fundetur na- turali rectitudine, aut promissione voluntaria, erit jus naturale, vel fidelitatis, non commutativum seu justitiæ specialis, quia per promi- sionem præcise solum resultat obli- gatio reddendi promissionem ve- ram, quod est adimplere illam. Na- turalis autem rectitudo obligat ex ipsa ratione naturæ, non ex onere actionis alterius erga me; et sic per- tinebit non ad jus commutativum quod ex ipsis commutationibus et actionibus personarum inter se oritur, sed ad jus naturale, et ex ipsa summa veritate et æquitate Dei, quæ omnia ordinate vult esse ex propria naturæ suæ æquitate, non ex obligatione erga alterum et orta ex altero. Pactum autem etsi fiat a Deo, tamen quia cadit super mate- riam talem, scilicet ex qua non potest ipse onerari et obligari, quia totum illud est sub ejus summo dominio, et a beneficio suo præstatum creatu- ræ, ideo ex actione creaturæ erga Deum nulla obligatio et debitum nascitur in Deo, nullum jus in crea- tura erga Deum, quia totum illud Dei est, et a Deo nascitur. Et sic est incapax illius specialis justitiæ, quæ pro formali objecto habet jus com- mutativum et fundatur super actio- nibus ipsis partium, quibus ad in- vicem obligantur: nec refert quod creatura licet nihil utilitatis Deo tribuat, tribuit tamen honorem et obsequium: nam hoc obsequium et honor mille modis debetur Deo ti-